

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. VII - N. 1

1975

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1975

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio

*Ad Praelatos Auditores, Advocatos et Of-
ficiales Tribunalis Sacrae Romanae Ro-
tiae, a Beatissimo Patre novo litibus
iudicandis ineunte anno coram admissos*

3

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Decretum de Ecclesiae pastorum vigilantia
circa libros 8

Sacra Congregatio pro Institutione Catho- lica

Litterae circulares de Doctrina Iuris Ca-
nonici Candidatis ad Sacerdotium tra-
denda 12

Pontificia Commissio Decretis Concilii Va- ticani II interpretandis

Responsa ad proposita dubia 23

ACTA COMMISSIONIS

I.	Coetuum studiorum labores	25
II.	De Schemate Documenti pontificii quo Disciplina canonica de Sacra- mentis recognoscitur	27
III.	De opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus	
1.	Coetus studiorum de matrimonio	41
2.	Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professio- nem consiliorum evangelicorum .	63
3.	Coetus studiorum de iure poenali	93

DOCUMENTA

I.	Oratio de Synodo Episcoporum et evangelizatione a Card. P. Felici Calari habita	98
II.	Ex ephemeride <i>Notitiae Commenta- rium</i> circa responsionem Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Va- ticani II interpretandis de Diaconi facultatibus quoad Sacramentalia et Benedictiones	105

NOTITIAE 108

II

**Coetus Studiorum de Institutis vitae consecratae
per professionem consiliorum evangelicorum¹**

I. QUID EXPONENDUM

1. Prae oculis habitis anterioribus relationibus,² hoc in fructuoso colloquio Consultorum Coetus Studii cum lectoribus, quod ultimum erit in hac serie, exponenda sunt quae in praecedenti relatione inexplicata remanserant ob penuriam temporis et spatii.³ Et sunt sequentia: 1) praescripta canonum respicientia *instituta religiosa operibus apostolatus dedita*, quae constituant Caput II Tituli I Partis Secundae Schematis generalis.⁴ Instituta haec religiosa divisa sunt in Schemate in *Instituta Canonicalia*, *Instituta Conventualia* et *Instituta Apostolica* ob motiva iam suo loco exposita; 2) normae quae *Instituta Vitae Apostolicae Consociatae ordinant* et 3) leges generales *Instituta Saecularia* spectantes. Insuper non erit obliviscendum quod notatum erat initio praecedentis relationis, nempe: «Praeter explicationem eorum quae in Parte Secunda Schematis continentur, oportebit quaedam dicere de innovationibus novissime inductis in Titulum II Primae Partis, qui agit: *De dependentia Institutorum ab ecclesiastica Auctoritate*. Hae innovationes respiciunt praecipue congruam autonomiam institutorum et exemptionem, de quibus Consultores tractaverunt in ultima sessione plenaria, ut supra dictum est.⁵ Tandem, manifestare oportebit lectoribus terminologiam novam quam Coetus Studiorum adoptare coactus est ob mutatum titulum et ambitum sectionis iuris communis cuius recognitio huic Coetui concredita est».⁶ Quaedam etiam addenda sunt circa pauca praescripta approbata a quodam mixto Coetu Studiorum

¹ Sicut infra suo loco explicabitur, in ultima sessione plenaria Coetus «De Institutis Perfectionis» discussio facta fuit circa Titulum vel Rubricam imponendam huic parti Iuris Communis et reiecta fuit Rubrica: «De Institutis Perfectionis» atque Rubrica supraposita adoptata, quae tamen aliis in locis coarctetur, brevitatis gratia, in: *De Institutis Vitae Consecratae*.

² Cf. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 168-181; 5, 1973, pp. 47-69; 6, 1974, pp. 72-93.

³ Cf. *Communicationes*, 6, 1974, n. 24, p. 93.

⁴ Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 18, p. 67.

⁵ Sessio haec locum habuit diebus 6-10 mensis maii 1974 et de quaestionibus indicatis disceptatum est in fine sessionis.

⁶ *Communicationes*, 6, 1974, n. 2, p. 73.

ex Consultoribus Coetus « De Institutis Perfectionis » et ex aliis Coetus « De Sacra Hierarchia ».⁷

Necessarium non videtur hic repetere quod iam plures dictum est circa constantem applicationem principiorum directivorum a Coetu Studii admissorum pro universo labore conficiendo.⁸ Etiam in parte nunc exponenda eadem methodus absque interruptione adhibita fuit ad hoc ut canones compositi apti sint ad applicationem absque detimento categoriae institutorum vitae consecratae cui directi sint.

Cum, ob motiva suo loco iam explicata, canones admissi pro qualibet specie atoma institutorum numero pauci sint — ut videri potest ex tractatione de Institutis monasticis⁹ iuvat hic in mentem lectorum revocare huiusmodi categorias institutorum vitae consecratae minime regi dumtaxat perpaucis normis pro qualibet categoria in Secunda Parte Schematis Generalis statutis. Seposto nempe iure particulari uniuscuiusque instituti, quod maximum obtinet momentum pro vita et actione ipsius, quaelibet categoria institutorum, immo quolibet institutum, regitur etiam omnibus praescriptis canonum qui in Prima Parte Schematis Generalis inveniuntur. Haec enim praescripta proposita sunt a Coetu Studiorum pro omnibus et singulis categoriis atque pro omnibus et singulis institutis.

II. DE INSTITUTIS OPERIBUS APOSTOLATUS DEDITIS

2. Agitur in hac sectione de illis perplurimis institutis religiosis quae ex propria vocatione divina dedicantur ad exercenda opera apostolatus et caritatis admodum varia pro bono Ecclesiae et universi humani generis. Ipsi imprimis Patres Concilii pulcherrima verba sequentia dedicant: « Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata apparet sicut sponsa ornata viro suo et per eam innotescat multiformis sapientia Dei ».¹⁰ Permulta haec instituta religiosa, « variis apostolatus

⁷ Coetus iste sub moderatione Em.mi Praesidis Commissionis Pontificiae coadunatus est diebus 27-28 mensis Ianuarii 1975.

⁸ Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 3, pp. 170-173; 5, 1973, n. 2, pp. 47-48; 6, 1974, n. 4, p. 74.

⁹ Cf. *Communicationes*, 6, 1974, nn. 14-24; et oportet notare hanc categoriam institutorum propter peculiarem eorum indolem et venerabilem traditionem maiorem numerum canonum postulasse quam opus fuit pro aliis categoriis.

¹⁰ Decr. *Perfectae caritatis*, n. 1.

operibus dedita, quae donationes habent secundum gratiam quae data est eis, differentes »,¹¹ coadunata sunt a Consultoribus Coetus sub unica amplissima specie, cui titulus impositus est: *De Institutis operibus apostolatus deditis*, eo quod omnia in quodam opere externo apostolatus exercendo convenientia, quamquam opera huiusmodi inter se sint admodum diversa. Etiam dedicatio variis operibus diversa esse potest tam gradu quam modo. Hoc dependet a diversa indole institutorum, a diversa missione quam adimplere debent in Ecclesia secundum varia charismata institutorum et inspirationes Fundatorum.

3. Considerantes elementum commune omnibus istis institutis religiosis — dedicatio nempe operibus externis apostolatus — Consultores huius Coetus Studiorum opportunum duxerunt paucos canones propone pro universa hac specie institutorum qui, modo generali sed sufficienter claro, materiam de apostolatu exercendo ab institutis per eorum sodales ordinarent. Normae his canonibus contentae formulatae sunt post ponderatum examen documentorum Concilii Vaticani II quae ad rem faciunt¹² et etiam Motu proprio « Ecclesiae Sanctae ».¹³ Praescripta hic statuta, quae fere integre et aliis categoriis institutorum quae religiosa non sunt applicari possunt,¹⁴ integrari debent aliis praescriptis canonum quae directe vel indirecte hanc materiam respiciunt quaeque in Schemate proposita sunt praesertim in Titulo II et in Titulo VI Primae partis ubi agitur de dependentia institutorum ab ecclesiastica Auctoritate et de obligationibus institutorum eorumque sodalium.¹⁵

4. Canones a Coetu studiorum approbati pro hac parte, postquam quaestio iam investigata fuerat in « Parvo Coetu », sunt quatuor et potius principia statuunt quam minutis praescriptiones. Imprimis, recolitur factum a Patribus Concilii clare enuntiatum in Decreto « Perfectae caritatis »: *In his institutis (operibus apostolatus deditis), ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica utpote*

¹¹ *Ibid.*, n. 8.

¹² Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, nn. 43-47; Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 8, 20, 23; Decr. *Christus Dominus*, nn. 33-35; Decr. *Ad gentes*, nn. 30, 35-41.

¹³ Cf. A.A.S. 58, 1966, Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 22-40, pp. 769-773.

¹⁴ Praescripta de quibus est sermo hoc in loco posita sunt imprimis ratione convenientiae. Prima vice nempe in secunda parte Schematis agitur hic de institutis quae ex propria vocatione dedita sunt operibus apostolatus externi. Deinde, instituta huiusmodi, quae religiosa sunt, numero admodum superant illa quae inter Instituta vitae apostolicae consociatae et inter Instituta saecularia numerantur. Tandem nihil impedit quominus haec praescripta applicentur quoque — quantum materia sinit — institutis aliarum categoriarum.

¹⁵ De quibusdam ex his canonibus erit sermo in alia parte huius relationis.

*sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commisum eiusque nomine exercendum.*¹⁶ Immo, dici potest hoc sanctum ministerium et opera caritatis exercenda institutis vitae consecratae assignata fuisse ab eodem Spiritu Sancto, qui distribuit donationes differentes prout vult pro aedificatione Corporis Christi.¹⁷ Ipso namque afflante instituta in Ecclesia ortum habuerunt per inspirationem Fundatoribus datam et e consilio divino « mirabilis varietas coetuum religiosorum succrexit ».¹⁸ Consultoribus visum est maxime opportunum hanc doctrinam conciliarem omnibus institutis operibus apostolatus deditis in Schemate iterum proponere ut omnes eorum sodales imprimis consci sint de intimo nexu inter eorum vitam consecratam et vitam apostolicam. Simul necessarium apparet hoc principium p[ro]ae oculis ponere ut instituta magni faciant primigeniam eorum inspirationem et missiōnem in Ecclesia a charismate Fundatoris descendente[m]. Non enim actio apostolica in genere vel in abstracto pertinere dicitur ad naturam ipsam horum institutorum, sed illa actio apostolica quae consona est cum indole, missione, fine et charismate cuiuslibet instituti. Et haec est ratio quare in canone primo adiungitur non solum quod tota vita sodalium spiritu apostolico imbuta esse debet — sicut liquido apparet — sed etiam quod *tota actio apostolica spiritu Instituti informanda est.*¹⁹ Actio apostolica nempe *personarum consecratarum*, per professionem consiliorum evangelicorum in aliquo instituto operibus apostolatus dedito, *debet uti talis apparere*. Hoc non tantum non officit vel obstat efficaciae apostolatus harum personarum sed illum reddit magis fructuosum ob valorem ipsius consecrationis. Et est unum ex motivis ob quae Patres Concilii firmiter statuerunt ut sodales horum institutorum: « *in externum apostolatum immissi, spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permaneant regulari observantiae et subiectionis erga proprios Superior[es]; quam obligationem Episcopi urgere ne omittant* ».²⁰

5. In eodem canone primo imponitur omnibus personis consecratis ut attendant ad pericula quae plerumque comitantur immoderatam et saepe insipientem activitatem in campo apostolico. Ad hoc nempe ut activitas apostolica non vertatur in sic dictum « activismum » et sic

¹⁶ Decr. *Perfectae caritatis*, n. 8.

¹⁷ Cf. *Ibid.*

¹⁸ *Ibid.*, n. 1.

¹⁹ Cf. *Ibid.*, n. 8.

²⁰ Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 2º; tam in hoc Decreto quam in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* vigilanti cura attenditur ne apostolatus exercitium a sodalibus factum detrimentum afferat spiritui instituti vel necessariae internae disciplinae.

qualibet efficacia et fructu evacuatur, immo forsitan etiam vertitur in detrimentum spirituale personae consecratae, oportet ut activitas illa sit veluti necessaria consequentia caritatis supernaturalis et procedat semper ex intima unione animae cum Deo per gratiam divinam. Aliis verbis, persona consecrata in his institutis orationem colere debet ut ad contemplationem perveniat ex qua actio apostolica naturaliter effluit. Vicissim activitas haec unionem cum Deo per caritatem et contemplationem confirmat ac fovet.

Tandem, in eodem statuitur praescriptum quod non parvae consolationis esse debet omnibus sodalibus institutorum vitae consecratae qui in labore apostolico cuiuscumque generis occupati sunt. Ministerium nempe apostolicum vel opus caritatis proprium, quod sodales exercent, praeterquam a Deo per inspirationem Fundatoris, commissum est instituto ab Ecclesia saltem in eius erectione et approbatione. Quare ministeria et opera huiusmodi exercenda sunt « *nomine et mandato* » *Ecclesiae*.²¹ Et consequenter quaelibet activitas apostolica peragenda est in communione ecclesiali. Quam tempestiva sit haec praescriptio nemo est qui non videt. Non enim desunt instituta quorum sodales obliviscuntur associationem eorum ab Ecclesia ortum habuisse ab eaque dependere atque totam eius rationem essendi in procurando bono Ecclesiae consistere. Oportet ut omnes sodales cunctorum institutorum vitae consecratae — et potissimum qui inter fideles vel infideles apostolatum externum exercent — in seipsos suscitent sensum ecclesiam et vivam acquirant conscientiam de « *pertinentia* » et de gravibus ipsorum obligationibus erga illam « universalem communitatem salutis » quae est Ecclesia.

6. Secundus canon in hac serie respicit *opera propria* institutorum vitae consecratae quae apostolatui externo ex propria vocatione dedicantur. Ad recte cognoscendum quaenam sint haec opera in unoquoque instituto oportet eius indolem, missionem et primigeniam inspirationem investigare. Consultores Coetus Studiorum, principia generalia a Patribus Concilii tradita pro accommodata renovatione vitae consecratae amplectentes,²² praeceptum imposuerunt omnibus institutis supra indicatis ut opera propria fideliter et religiose servent atque accommodent necessitatibus temporum et locorum, adhibitis necessariis vel opportunis mediis, etiam novis. Patres enim Concilii edixerant accommodatam renovationem vitae consecratae requirere « continuum redditum ad omnis

²¹ Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 8.

²² Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 2.

vitae christianaæ fontes *primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones* ».²³ Quare, in ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam *indolem et munus habeant et fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus et propria proposita*.²⁴ Praescriptum huius canonis intendit graviter commonefacere eos quorum interest de gravi damno quod institutis inferre possunt *per praeproperam et inconsultam mutationem in materia operum apostolatus*. Absque profunda investigatione primigeniae inspirationis, spiritus Fundatoris, indolis et historiae instituti, accommodatio recta et prudens fieri non potest, ut iam alibi expositum est.²⁵

7. Canon tertius, instituta operibus apostolatus dedita universim inspecta respiciens, duas statuit normas quae magni sunt momenti pro recto exercitio apostolatus et pro concordia et harmonia servanda inter sodales institutorum eorumque moderatores ex una parte et Auctoritates ecclesiasticas, praesertim locales, ex alia. Iam pluries in nostro Schemate enuntiatum est principium obligationis universalis pro omnibus institutis vitae consecratae et pro omnibus sodalibus *impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque instituti vocationem*.²⁶ Hoc principium in documentis conciliaribus frequenter repetitur.²⁷ « Cum vero evangelica consilia — dicitur in Const. dogm. “Lumen gentium” — suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono quoque totius Ecclesiae devoteatur oportet. *Inde oritur officium pro viribus et secundum formam propriae vocationis, sive oratione, sive actuosa quoque opera, laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum* ».²⁸

In hoc canone tamen consideratur dumtaxat labor externus apostolicus sodalium institutorum operibus apostolatus deditorum. Ipsi tenentur adlaborare pro bono Ecclesiae *vi propriae vocationis*. Ratione nempe divinae inspirationis et approbationis, uti talia, ab Ecclesia, instituta operibus apostolatus dedita et eorum sodales assumunt istam obligationem. Licet tamen obligatio instituti directe respiciat Ecclesiam uni-

²³ Ibid.

²⁴ Ibid., n. 2, b.

²⁵ Cf. *Communicationes*, 6, 1974, nn. 6-8.

²⁶ Cf. *Canones Praeliminares Generales et Primam Partem*, Tit. VI.

²⁷ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, nn. 44, 46; Decr. *Christus Dominus*, nn. 33-35; Decr. *Perfectae caritatis*, nn. 1, 8.

²⁸ Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 44.

versam, quia institutum vitae consecratae est institutum Ecclesiae eiusque sodales imprimis disponibiles esse debent pro necessitatibus Ecclesiae universalis et Auctoritatis Ecclesiasticae Supremae,²⁹ eadem obligatio respicit etiam necessitates ecclesiarum particularium et proinde instituta et sodales adiuvare tenentur etiam Episcopos, sub ductu tamen propriorum moderatorum, salva disciplina instituti et attenta indole et vocatione propria.³⁰

8. Statuto hoc principio generali quod substantialiter in se recolligit tam principia fundamentalia in Decreto « Christus Dominus » determinata quam normas Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae » contentas,³¹ Consultores Coetus ad normas particulares tradendas descendere non voluerunt sed legislatori proposuerunt ut praeceptum daret tam Episcopis quam Moderatoribus institutorum *ut collatis inter se consiliis procedant in ordinandis operibus externis apostolatus quae a sodalibus excentur in favorem fidelium*. Si enim Episcopi et Moderatores hanc normam sensus communis, sapientia et prudentia plenam, bene adhibeant, maxima cum probabilitate nulla gravis difficultas orietur. Et si oriatur, affabilis et familiaris discussio fere semper ad meliorem et magis aequam solutionem inveniendam adducet. Patres Concilii persuasum habuerunt bonum animarum hac in re magis in tuto poni per sinceram et apertam cooperationem utriusque partis, quae communem sollicitudinem demonstrat, quam multiplicatione normarum. Quapropter, repetitis vicibus, iidem Patres enixe commendaverunt frequentes consultationes et conventus statis temporibus habendos inter Episcopos et Moderatores.³² Consultationes istae et conventus fieri possunt tam inter singulos Episcopos et singulos Moderatores, quam inter Episcopos in coetibus coadunatos, quocumque nomine veniant, et Conferentias Superiorum Maiorum vel alios moderatores coadunatos.

9. Tandem in ultimo canone hic posito circa instituta religiosa operibus apostolatus dedita confirmatur, primo loco, ius institutorum exercendi opera propria. Hoc est evidens et a nemine impediri potest si instituto datum fuerit ius communitatem vel coetum ibidem constituendi. Approbatio namque instituti ab auctoritate ecclesiastica competente confert ipso facto facultatem exercendi opera propria, quae, si externa sint et in favorem christifidelium exercenda, subsunt iurisdictioni Ordin-

²⁹ Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 33.

³⁰ Cf. *Ibid.*, nn. 33-35.

³¹ Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 1-4; Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 22-39.

³² Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 5-6; Decr. *Perfectae caritatis*, n. 23.

narii loci qui aliquas condiciones apponere potest. Immo, S. Sedes quammaxime favet et non raro imponit conventiones etiam scriptas ad iura et obligationes utriusque partis adamussim definiendas.³³ Consultores hunc modum agendi approbaverunt et statuerunt Episcopos et Moderatores similes conventiones pro opportunitate inire posse et etiam debere ad collaborationem mutuam fovendam et ordinandam, maxime in campo apostolatus externi a sodalibus institutorum vitae consecratae exercendi. Methodus haec videtur magis concordare cum hodiernis moribus populorum et magis apta appareat ad vitandas quaestiones quae in hac materia delicata non raro oriuntur. Merito igitur praevideri potest ampliata applicatio vel usus eius perdurantibus insequentibus annis. Frequentes, ampliae et sincerae consultationes inter Episcopos et Moderatores atque clara definitio, per conventiones, iurum et obligationum utriusque partis media efficacia constituunt ad fructuosas et concordes reddendas relationes inter eos; quod in commodum omnium abs dubio vertitur et praesertim Populi Dei.

10. Expositis quae a Coetu Studiorum proposita sunt quoad exercitium operum apostolatus sodalium Institutorum vitae consecratae, oportet nunc breviter disserere de tribus categoriis institutorum religiosorum in quas — iuxta Schema approbatum Secundae Partis³⁴ — species institutorum operibus apostolatus deditorum dividitur. Tres categoriae sunt sequentes: A) *Instituta Canonicalia*, B) *Instituta Conventualia*, C) *Instituta Apostolica*. In secunda « relatione », infrascriptus Relator descripsit longum iter quod Consultores Coetus Studiorum perficere debuerunt ut tandem pervenirent ad definitivam formulationem et approbationem Secundae Partis Schematis Generalis.³⁵ Ibidem dictum est praedictam speciem institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum antea divisam fuisse in duas tantum categorias, nempe: « *Instituta religiosa clericalia* » et « *Instituta religiosa laicalia* ». « Ratio suppressionis prioris subdivisionis — scribebat Relator in eadem relatione — et adoptionis praesentis in hoc consistit: distinctio institutorum perfectionis in clericalia et laicalia neque propria est institutorum religiosorum, neque notas peculiares manifestat diversarum specierum horum institutorum, neque directe connectitur cum apostolatu quem sodales institutorum exercent. Nova subdivisio e contra distinguit varias categorias institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum

³³ Cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, nn. 30, § 1; 31; 33, §§ 1-2.

³⁴ Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 18, p. 67.

³⁵ Cf. *Ibid.*, n. 16, p. 64.

per notas proprias et peculiares atque indicat distinctum gradum apostolatus quem quaevis categoria exercet ».³⁶ Praeterea, divisio proposita demonstrat evolutionem historicam vitae religiosae, quae, vi propriae vocationis, exercitium diversorum operum apostolatus sibi consociat. Generaliter loquendo, dici potest communitates vel « Capitula Canonorum regularium » primam formam concretam constituisse institutorum religiosorum operibus apostolatus ex professo deditorum. Sequentur illae uberrimae fundationes in Ecclesia quae — uti antea dicebatur — vitam perfecte mixtam instituerunt eo quod sodales contemplationi et actioni apostolicae aequa lance vacabant. Propter intensam vitam communitariam in domibus, quae conventus communiter vocabantur, in Schemate appellatae sunt « Instituta conventualia ». Plus minusve, haec categoria coincidit cum illa « Ordinum Mendicantium ». Tandem sub nomine « Instituta Apostolica » veniunt tam Clerici regulares, qui inde a saeculo XVI in Ecclesia apparuerunt, quam multitudo Congregationum religiosarum virorum et mulierum quae temporibus recentioribus a legitima Ecclesiae Auctoritate tamquam instituta plene religiosa approbata sunt.³⁷

Ex dictis supra iam intelligitur paucos canones a Coetu Studiorum paratos pro qualibet ex tribus categoriis institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum, potius quam normas agendi, continere imprimis quaedam elementa peculiaria uniuscuiusque categoriae quibus ipsam faciliter identificabilis efficitur et sic unumquodque institutum suam categoriam vel speciem absque nimiis difficultatibus et dubiis inventire potest. Et hoc non parum confert ad hoc ut singula instituta suam veram identitatem in Ecclesia detegere possint.³⁸

A. De Institutis canonicalibus

11. Consilium Primaliale Confoederationis Canonicorum Regularium S. Augustini quasdam considerationes Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo anno 1970 misit et quaedam proposuit ex quibus Coetus Studiorum haurire potuit quae necessaria erant ad canones in hac parte proponendos.³⁹ Venerabilia Instituta Canonici

³⁶ *Communicationes*, 5, 1973, n. 16, p. 64.

³⁷ Congregaciones religiosae de quibus hic est sermo agnita fuerunt uti tales prima vice a Leone Papa XIII in Const. Ap. *Conditae a Christo*, diei 8 decembris 1900.

³⁸ Cf. quae ad rem dicta sunt in praecedenti « relatione » in *Communicationes*, 6, 1974, nn. 5-8, pp. 74-78.

³⁹ Documentum in quo considerationes et proposita facta sunt a Consilio Primaliali Confoederationis Pontificiae Commissioni missum est tamquam manuscriptum et publici iuris factum non fuit.

calia, quae fere omnia antiquissimae fundationis sunt,⁴⁰ habent tamquam notam veluti specificam sollempniorem celebrationem Sacrae Liturgiae et apostolicum ministerium in paroeciis, etsi quaedam alia quoque opera pastoralia exerceant.⁴¹ Constituerunt haec Capitula Canonicorum Regularium primam formam instituti religiosi ex propria vocatione operibus apostolatus dediti. Non paucas similitudines habet haec forma vitae religiosae cum illa monachorum sed ab ea clare distinguitur quia propriam originem demonstrat ex capitulis canonicorum quae in ecclesiis cathedralibus et in illis capitularibus attendebant decori laudis divinae et servitio pastorali fidelium. Quaedam ex institutis canonicorum recenter in confederationes coadunata sunt cum beneplacito apostolico.⁴²

12. Omnibus mature perpensis, Consultores Coetus Studiorum duos tantum canones hanc categoriam respicientes proposuerunt. Praeter praescripta omnia quae in prima parte habentur quaeque instituta canonicalia, sicut et omnia alia, respiciunt et canones paratos pro institutis religiosis generaliter, huiusmodi instituta non egent numerosis normis iuris communis pro ipsis specifice datis. Sufficiunt predicta bene et apte integrata per ius particulare cuiuslibet instituti. In primo canone notae specificae istius categoriae supra indicatae statuuntur, nempe: *agere laudem divinam sollemniori praecipue cultu atque operibus apostolicis incumbere sacerdotale officium praesertim in paroeciis exercendo.* Sed simul praecipitur, vel potius maxime commendatur moderatoribus et etiam Episcopis, ut pro posse paroeciae his institutis concreditae sint inter se vel domui principali vicinae. Hoc praecise memoratur ut foveatur vita regularis etiam per constantes relationes inter sodales, quae impossibilis fierent si domus inter se vicinae non sint. Nostris praesertim temporibus, quando moderatores institutorum raro possunt constituere communites numerosas apud paroecias eis concreditas ob penuriam sodalium, admodum opportunum apparet hoc medio uti ad vitam regularem fovendam et ad genuinam renovationem vitae religiosae instaurandam. Haec enim absque intensa vita communitaria sodalium in institutis religiosis appetit valde difficultis.

Canon secundus confirmat et ratum habet quod a pluribus Capitulis Canonicorum iam factum est et viam pro aliis aperit ut idem faciant si velint. Notum est Capitulum Canonicorum Regularium domum sui

⁴⁰ Cf. *Annuario Pontificio*, anno 1975, pp. 1145-1147.

⁴¹ Cf. *Annuario Pontificio*, anno 1975, pp. 1145-1147 ubi describitur scopus Confederationis et aliorum Ordinum Canonicorum Regularium.

⁴² Cf. *Ibid.*, p. 1145.

iuris constituere posse sub proprio Moderatore. Plures tamen pauca vel multa Capitula uniuntur inter se ad efformandam *Congregationem Canonicorum Regularium*. Hoc non pauca Capitula iam fecerunt.⁴³ Die autem 4 mensis Maii 1959, Summus Pontifex Ioannes XXIII, per Litteras Apostolicas « Caritatis Unitas », suum beneplacitum dedit pro erectione *Confoederationis* plurium Congregationum Canonicorum Regularium sub unico Abbe Primate.⁴⁴ Ordo Canonicus Praemonstratensium videtur habere diversam internam structuram quae abs dubio servari potest. In canone propterea dicitur generaliter quod sub eodem Praeside congregari possunt plura Capitula canonicorum sui iuris. Plura autem eiusdem generis canonicorum instituta confoederari possunt sub Abbe Primate cum beneplacito apostolico.

B. *De Institutis Conventualibus*

13. In hac categoria includuntur numerosa illa instituta religiosa quae antea cognoscebantur tamquam « Institutata religiosa vitae mixtae ». A Patribus tamen Concilii recte descripta sunt tamquam: *religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio chorali observantiisque monasticis*.⁴⁵ Descriptio illo tamen non manifestat omnes notas specificas huius categoriae institutorum religiosorum. Notae enim characteristicae horum institutorum ita enumerari possunt:

- 1) *vita communis intensa*, quae suam altissimam expressionem habet in communi celebratione Sacrificii Eucharistici (potissimum in concelebratione) et liturgiae horarum;
- 2) *flagrans activitas apostolica*, quae in contemplatione sodalium, in eorum vita liturgica atque in exercitio caritatis fraternae in communitate continuo sustentatur et renovatur;
- 3) *quaedam regulares observantiae*, praesidium et tutamen constituentes tam pro vita religiosa in communi fraternitate agenda quam pro efficaci et fructuoso apostolatu;
- 4) *testimonium cuiusdam austeritatis vitae*, quod instituta et sodales reddere tenentur vi propriae vocationis.

Rubrica: *De Institutis Conventualibus* adoptata fuit a Coetu Studiorum quia melius videtur exprimere vitae rationem in his institutis vigentem. Vita communitaria est sat evoluta, quae per orationem communem liturgicam et fraternalm caritatem alitur et crescit. Et quia primigenia inspiratio eorum est eminenter apostolica, ministerium apo-

⁴³ Cf. *Ibid.*, pp. 1145-1146.

⁴⁴ Cf. A.A.S. 51, 1959, p. 630.

⁴⁵ Decr. *Perfectae caritatis*, n. 9.

stolicum debet veluti pullulare ex ipsa vita communitaria et communis studio et sollicitudine exerceri. Ita, domus religiosa horum institutorum constituitur veluti *centrum irradiationis Christi et refugium ubi operarii Evangelii vires reficiunt*. Vita autem communitaria quae actionem suam vivificatricem ininterupte prosequitur arcana foecunditate actionem apostolicam suorum sodalium ditat.

Categoria institutorum quae sub expressione « Institututa conventionalia » includuntur non videtur perfecte coincidere cum coetu *Ordinum Mendicantium*,⁴⁶ quia aliae familiae religiosae includi possunt inter instituta conventionalia praeter Ordines Mendicantes. Sed non videtur posse dubitari quin isti Ordines partem praecipuam constituant institutorum quae in hac categoria includuntur. Et ideo non immerito dici potest instituta huius categoriae quoddam speciale testimonium austerioratis reddere debere. Ad hoc conferunt etiam regulares observantiae quae diversae possunt esse iuxta diversitatem charismatis et missionis cuiuslibet instituti.

Plerumque instituta huiusmodi, maxime vero Ordines Mendicantes, habent alia instituta sibi aliquo modo associata vel etiam proprias associationes christifidelium. Omnia haec efformant quamdam veluti familiam cuius partes inter se uniuntur nexus quodam morali et quandoque etiam iuridico et habent propriam spiritualitatem. Institutum igitur, quod considerari debet tamquam radix et origo huius « familiae », *obligationem specialem habet*, ex nexus cum aliis provenientem, *curandi ut omnia membra illius familiae spiritu genuino eiusdem imbuantur* et ut idem spiritus, ab Ecclesia probatus et commendatus, diffundatur inter fideles potissimum per associationes proprias instituti.

14. Duobus tantum brevibus canonibus legislatio parata a Coetu Studiorum circa Institututa Conventionalia absolvitur. Omnia supra exposta substantialiter includuntur. In primo enim canone descriptio per notas specificas institutorum praedictorum traditur. Institututa huiusmodi — ita statuit — intime consociant vitam apostolicam laudi divinae et regularibus observantiis et praestant peculiare testimonium austerioratis vitae. Eorum sodales vitam fraternalm in communi ducunt, praesertim in celebratione Eucharistiae et liturgiae horarum. Ministerium vero apostolicum communi studio et sollicitudine prosequuntur. Canon autem secundus definit relationes cum institutis consociatis et propriis associationibus, sicut supra iam expositum est. Specialem curam instituta con-

⁴⁶ Cf. *Annuario Pontificio*, anno 1975, pp. 1157-1161.

ventualia adhibere debent ut instituta sibi consociata acquirant et imbuta sint genuino spiritu propriae familitae et hunc eumdem spiritum inter christifideles propagare satagant praesertim per associationes proprias.

C. De Institutis Apostolicis

15. Nomine *Institutorum Apostolicorum* multitudine illa societatum religiosarum intelligitur quae primario conditae sunt ad ministerium apostolicum vel opera caritatis diversissima exercenda.⁴⁷ Propter emphasis quam ponunt in exercitio operum apostolatus, instituta haec antea appellabantur « instituta vitae activae », ut apprime distinguerentur ab illis vitae contemplativae et vitae mixtae. E consilio divino evenit ut iam ab initio saeculi decimi sexti succreverit in Ecclesia mirabilis varietas coetuum huius generis ad subveniendum ingravescentibus necessitatibus Ecclesiae et humani consortii in continua et profunda evolutione.⁴⁸ Societates clericale quae ortum habuerunt usque ad finem eiusdem saeculi decimi sexti appellatae sunt *Ordines, Congregationes* vel *Societates Clericorum Regularium*.⁴⁹ Postea vero veniunt *Congregationes Religiosae clericales* et *Congregationes Religiosae Laicales sive virorum sive mulierum*.⁵⁰

Omnia haec instituta vocata sunt in Schemate *Instituta Apostolica* ad denotandam eorum specialem indolem: *integralis nempe dedicationis apostolatui* secundum diversitatem missionis et charismatis uniuscuiusque instituti. Haec tamen affirmatio neminem debet in errorem inducere vel confusionem ingerere. Omnia enim instituta religiosa, quae monastica non sunt, operibus apostolatus exercendis dedicantur vi propriae vocationis, sive sunt canonicalia, sive conventionalia sive apostolica. Sed aliter et aliter, sicut supra iam expositum est. Similiter, ex eo quod instituta apostolica dicantur integre apostolatui dedicata, non licet deducere huiusmodi instituta orationem et contemplationem negligere. Quaelibet enim actio apostolica, — iam dictum est supra — ex intima unione cum Deo semper procedere debet. Haec tamen intima unio cum Deo absque oratione et absque quodam gradu contemplationis acquire non potest.

Indoles specifica eminenter apostolica horum institutorum exigit aptam eorum internam organizationem secundum diversitatem operum

⁴⁷ Cf. *Annuario Pontificio*, anno 1975, pp. 1162-1185, 1201-1325.

⁴⁸ Cf. *Decr. Perfectae caritatis*, nn. 1, 8.

⁴⁹ Cf. *Annuario Pontificio*, anno 1975, pp. 1162-1163.

⁵⁰ Cf. *Ibid.*, pp. 1164-1185, 1192-1199, 1201-1325.

apostolicarum vel christiana caritatis in quibus exercendis sodales occupantur. Proinde, haec organizatio interna diversissimas formas assumere potest, et forsitan debet, ad hoc ut sodales valeant vitam agere integre apostolatui deditam. Id tamen videtur communiter requiri in omnibus, ad hoc ut instituta expedita maneant in operibus propriis peragendis, *quod sufficiens mobilitas et disponibilitas sodalium habeatur simul cum firma instituti unitate sub ductu moderatoris supremi*. Abs dubio, omnia instituta quae integre ad contemplationem non ordinantur curare debent ut eorum sodales disponibiles sint pro urgentioribus Ecclesiae necessitatibus et praesertim quando Auctoritas Suprema vocat, sed instituta apostolica maiorem habent obligationem quia pro hac intentione condita sunt.

16. Tres sunt canones a Coetu Studiorum pro hac classe institutorum propositi. Primus breviter statuit quae iam dicta sunt circa indolem propriam institutorum apostolicorum. Primario enim condita sunt ad propria ministeria exercenda et propterea suam rationem vivendi ita ordinare tenentur ut sodales integre apostolatui vitam dedicare valeant. Ut foveatur mobilitas et disponibilitas apostolica sodalium institutum illam unitatem servare debet sub moderamine auctoritatis supremae ipsius ut actio apostolica eius non tantum non impediatur sed expedita fiat.

Canon secundus respicit instituta apostolica clericalia. *Haec debent primas partes dare ministeriis sacris quae cum sacramento Ordinis connectuntur*, secundum determinationem iuris particularis. Alia autem opera apostolica, quae cum ministerio sacro intime non connectantur vel non sint propria instituti, aliis institutis vel personis magis idoneis, etiam laicis, committenda sunt. Aliis verbis, institutum clericale, quod, iuxta definitionem a Coetu Studiorum acceptata,⁵¹ « vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae Auctoritate agnoscitur », debet tamquam munus principale ministerium sacrum habere. Alias autem mansiones, quae sacrae non sunt, aliis relinquere debet, nisi intret in propositis, praesertim iuxta primigeniam inspirationem,⁵² illius instituti. Plerumque ista instituta clericalia includunt, praeter clericos, etiam sodales laicos, qui variis appellantur nominibus. Propter eorum pertinentiam ad institutum clericale, isti sodales laici, vi professionis sua, speciali titulo commune sacerdotium fidelium exer-

⁵¹ Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 6, p. 52.

⁵² Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 2.

cent quando cum clericis in sacro ministerio peragendo collaborant. Unde, prae ceteris, illa officia assumant quae hanc collaborationem foveant. Debent nempe intimam habere persuasionem se non posse melius adiuvare prosecutionem et adeptionem finis proprii instituti quam per cooperationem in eius opere praecipuo et nobilissima missione ei concredita.

Tandem in canone tertio sermo fit de institutis apostolicis laicibus, tam virorum quam mulierum, quae numerosissima sunt. Agnoscutur imprimis, sicut iustum est, quod haec instituta per generosam ditionem et indefessum laborem suorum sodalium *munus pastorale Ecclesiae adimplent hominibusque diversissima praestant servitia per misericordiae opera spiritualia et corporalia*.⁵³ Quapropter eis iniungitur ut fidelitatem servent erga propriam vocationem et missionem.

III. DE INSTITUTIS VITAE APOSTOLICAE CONSOCIATAE⁵⁴

17. Sicut ex « relationibus » praecedentibus manifestum appareat, Relatori et Consultoribus nostri Coetus Studiorum facile certe non fuit rubricam aptam invenire in novo Schemate ad indicandum coetum illum institutorum vitae consecratae quae in Codice Iuris Canonici veniunt sub titulo: « De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis ».⁵⁵ Omnes erant concordes titulum Codicis vigilis admittendum non esse. Plures conatus necessarii fuerunt ut tandem Coetus Studiorum perveniret ad acceptandam suprapositam rubricam. « Existimarent Consultores — dicebat Relator in sua altera « relatione » — huiusmodi appellationem naturam istarum societatum melius exprimere quam alias hucusque adhibitas tum a Codice Iuris Canonici, tum ab ipsis Consultoribus in aliis schematibus propositis. Hae namque societas, quae vera instituta organizata in Ecclesia sunt, eminenter apostolicae apparent et ad opera quaedam apostolica melius et efficacius exercenda conditae sunt ab earum funda-

⁵³ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. IV, n. 46.

⁵⁴ Cum quaedam Societates missionariae Commissioni declaraverint se non desiderare includi in legislatione canonica « de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum », Coetus Studii, re mature perpensa, censuit quaestionem hanc non ad hunc Coetum pertinere sed earum legislationem perpendendam esse a competenti Coetu Studii *de iure associativo in Ecclesia*, ad quem proinde tota quaestio transmissa fuit. Competentia namque Coetus nostri includit tantum instituta quae tria consilia evangelica publice in Ecclesia profitentur, sicut pluries declaratum est, cf. praesertim *Communicationes*, 2, 1970, n. 4, pp. 173-174.

⁵⁵ Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 6, p. 176; 5, 1973, nn. 4, 16-18, pp. 49-50, 63-67.

toribus. Ipsa earum vita communitaria, potius quam elementum indispensabile vitae membrorum, appareat tamquam medium ad apostolatum directum ».⁵⁶ Immo, eorum vita communis non videtur habere illud momentum quod habet in institutis religiosis. Sodales nempe istorum institutorum, qui omnes vocationem apostolicam personalem praeseferrunt, simul in institutum coadunantur et communitatem efformant ut, viribus unitis, missionem eorum apostolicam, quae ita fit etiam missio instituti, melius prosequi et completere possint. Sodales, etsi nullo modo vitam religiosam amplecti intendant, eius onera assumere vel vota religiosa emittere, consilia evangelica assumunt, aliquo sacro ligamine firmata, quia volunt seipso totaliter Deo consecrare⁵⁷ et quia haec consecratio non parum auget valorem et efficacitatem eorum activitatis apostolicae.

18. Quamquam instituta huiusmodi valde numerosa dici non possunt, et convenient in vocatione eminenter apostolica, inter se tamen non parum differunt quoad fere omnia alia. Quapropter, canones qui pro hoc coetu institutorum a Coetu Studiorum proponuntur necessario generales et pauci esse debent, quia secus difficulter omnibus institutis et sodalibus applicari possent. Non afferent proinde adiutorium eis sed potius nocumentum causarent.

Legislatio specialis Instituta vitae apostolicae consociatae respiciens ad quatuor tantum canones coarctatur. *In primo canone bene in luce ponitur nota specifica apostolicitatis horum institutorum ad cuius servitium fere omnia alia ordinata esse debent.* Instituta namque haec, quae religiosa non sunt quaeque clericalia vel laicalia esse possunt,⁵⁸ *finem suum apostolicum sustinent per vinculum fraternitatis.* Ut iam dictum est supra, omnia instituta consilia evangelica assumere debent aliquo sacro vinculo firmata secundum determinationem statutorum particularium. Vita fraterna sodalium — affirmatur in canone secundo — debet esse ita ordinata ut constituat veram praeparationem, constantem attractionem et adiutorium activitati apostolicae.

Quoad observantium consilii evangelici paupertatis in his institutis etiam in iure communi Codicis Iuris Canonici fere omnia relinquuntur determinanda iuri particulari cuiuslibet instituti. In canone namque 676 aequiparantur hae societas institutis religiosis quoad iura possidendi,

⁵⁶ *Communicationes*, 5, 1973, n. 18, p. 66.

⁵⁷ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 44.

⁵⁸ Ex Institutis iuris pontificii in *Annuario Pontificio*, anni 1975, recensis nullum videtur esse laicale.

acquirendi et administrandi bona temporalia eorum. Deinde adiungitur in eodem canone § 3: « Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; *cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant* ».⁵⁹ Et merito quidem. Cum enim his in institutis vota religiosa non emittantur, eorum sodalibus non est imponendum quod religiosis praecipitur ratione voti religiosi paupertatis. Consultores tamen Coetus Studiorum perceperunt pericula abusus quae haberi possunt ex nimis vaga formulatione iuris particularis institutorum in hac materia, licet ad particularia in statuendis praescriptis iuris communis descendere non valebant. *Quapropter, legislatori proposuerunt ut omnibus his institutis praeceptum imponat ut in statutis particularibus et clare definiatur conditio personalis sodalium circa bona temporalia et dentur normae aptae et accommodatae, perspectis omnibus adiunctis, respicientes usum illorum bonorum.* Attendendum est quam maxime etiam in his institutis sodales *fratres in Domino* constitutos esse ac properea discriminationes inter eos, quoad vitae tenorem, totis viribus vitandas esse. In fraternitate sodales aequales sunt. Et haec omnia breviter statuuntur in canone tertio, qui magnum habet momentum, uti ex dictis patet.

19. Quartus et ultimus canon pro categoria istorum institutorum paratus et legislatori propositus respicit relationes sodalium cum Episcopis vel Ordinariis locorum in genere. Sicut supra verbis diversis dictum est pro sodalibus institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum,⁶⁰ etiam hic imprimis praecipitur sodalibus horum institutorum ut Ordinariis locorum reverentiam et oboedientiam praestent in his quae activitatem apostolicam spectant in eorum territoriis exercendam in favorem Populi Dei. Principia enim data in hac parte in Decreto conciliari « Christus Dominus »⁶¹ etiam hic applicationem inventiunt. Sed intactae manere debent tam indoles propria institutorum quam subiectio sodalium erga proprios moderatores. Sicut iam plures inculcatum est, collaboratio sodalium cum Ordinariis loci in opere apostolatus et curae animarum est necessaria, praesertim his temporibus penuriae operariorum Evangelii, sed haec fieri non potest cum detimento instituti vel eorumdem sodalium aut cum iactura disciplinae internae ipsius instituti.

Cum quaedam ex his institutis admittant incardinationem sodalium

⁵⁹ C.I.C., can. 676, § 3; cf. etiam *ibid.*, §§ 1-2.

⁶⁰ Cf. *supra*, n. 7.

⁶¹ Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 33.

clericorum cuidam dioecesi et de facto huiusmodi incardinaciones habentur in quibusdam institutis, opportunum visum est Coetui Studiorum quaestionem investigare ob consequentias quae sequi possunt et ob problemata quibus incardinatio his in conditionibus ortum dare potest. Institutum incardinationis tamen exulat a competentia nostri Coetus Studiorum et pertinet ad Coetum « De Sacra Hierarchia ». Propterea ab Em.mo Praeside Commissionis Pontificiae Coetus sic dictus « mixtus » efformatus est ex quibusdam Consultoribus Coetus « De Sacra Hierarchia » et ex Consultoribus nostri Coetus ad hanc et quasdam alias quaestiones discutiendas et solvendas. Post discussionem, quae locum habuit mense Ianuario anni 1975, Consultores unanimiter statuerunt *sodales Institutorum vitae apostolicae consociatae*, etsi clerici sint, regulariter adscribi dumtaxat proprio instituto, quod constituit societatem bene organizatam ab Ecclesiae Auctoritate approbatam. *Incardinatio vero sodalium clericorum in dioecesi debet constituere exceptionem et fieri debet « ad normam iuris particularis Instituto proprii ».* Quo in casu tales sodales clerici ab Ordinario illius dioecesis vel Ecclesiae particularis dependent. « *In iis tamen quae ad vitam consecratam, immo et ad vitam internam Instituti, pertinent, subsunt Instituti moderatoribus et munera in Instituto sibi commissa assumere tenentur* ».⁶² Quam opportuna sit haec ultima specificatio nullus moderator certe ignorat! Agitur nempe etiam hic de applicatione eiusdem principii supra memoriati. Cooperatio est necessaria et est optima pro utraque parte, si limites iusti observentur. Sed collaboratio non debet constituere praetextum ut quis sese eximat a propriis officiis in instituto cum iactura disciplinae.

IV. DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

20. Ad complendam brevem sed integralem expositionem Secundae Partis Schematis Generalis remanet ut quaedam dicantur circa praescripta canonum quae a Coetu Studiorum parata sunt pro categoria institutorum vitae consecratae de quibus in rubrica supraposita. Agitur de novissima forma vitae consecratae ab Ecclesia formaliter approbata per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia*, die 2 mensis Februarii 1947 a Papa Pio XII promulgata.⁶³ Forma vitae consecratae quae in his institutis agitur non parum differt ab illa stricte religiosa

⁶² Sunt verba a Coetu mixto approbata.

⁶³ Cf. A.A.S. 39, 1947, pp. 114 ss.

vel ab illa quae ducitur in Institutis vitae apostolicae consociatae. Sodales namque institutorum saecularium non obligantur ad vitam communitariam et non tenentur deferre habitum specificum vel aliquod signum quo ostendant suam pertinentiam ad quoddam institutum saeculare. Immo, externe, regulariter nullo modo distinguuntur a ceteris christifidelibus inter quos vivunt. Hoc tamen non obstante, instituta saecularia « quamvis non sint instituta religiosa, veram tamen et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt ». Ita Patres Concilii aperte declaraverunt.⁶⁴ Et sodales horum institutorum per propriam cooptationem, saltem definitivam, intendere debent totalem suipsius dedicationem Deo in caritate perfecta,⁶⁵ sive sint viri sive mulieres, sive laici sive clerici. Peculiaris autem et propria indoles istorum institutorum est *saecularis*, quae, praeter consecrationem in saeculo et vitam externe non distingibilem ab illa aliorum christifidelium, importat ut sodales apostolatum proprium, secundum determinationem statutorum particularium, exerceant in saeculo ac veluti ex saeculo et ut revera fermentum sint in mundo ad robur et incrementum Corporis Christi.⁶⁶

21. Consultores « Parvi Coetus », qui textum canonum pro discussione in sessione plenaria Coetus Studiorum diebus sexta ad nonam mensis Maii 1974 habita apparaverunt, multum insudare debuerunt ad praedictum textum formulandum et non paucos conatus infructuosos fecerunt usquendum ad textum probandum pervenerunt. Rationes fuerunt variae. Imprimis agebatur de nova quadam forma vitae consecratae quae ab illis hucusque notis valde differt et cuius perfecta delimitatio adhuc forsan non habetur. Verum quidem est omnia instituta saecularia notas characteristicas vel elementa peculiaria habere de quibus in numero praecedenti. Sed in quo revera consistit « nota saecularitatis » horum institutorum et quid praecise importat? Estne eadem saecularitas institutorum laicalium et clericalium? In quo convenient et in quo differunt istae duae species eiusdem categoriae institutorum? Quamvis abs dubio legislatoris non sit quaestiones doctrinales et praesertim controversias solvere, Consultores « Parvi Coetus » in canonum praeparatione, et Coetus Studiorum in eorum discussione, pree oculis habuerunt omnia documenta, potissimum officialia, quae ad rem faciunt.⁶⁷ Deinde, inter

⁶⁴ Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11; cf. etiam Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia*, art. I-III.

⁶⁵ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 44.

⁶⁶ Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11; cf. etiam Motu Proprio *Primo feliciter*, n. II.

⁶⁷ Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia*; Motu Proprio *Primo feliciter*, diei 12

instituta saecularia iam ab Ecclesia approbata mira habetur varietas. Videntur tantum convenire in hoc quod acceptent professionem trium consiliorum evangelicorum uno vel alio sacro vinculo firmatam et in hoc quod exerceant apostolica quaedam opera. In aliis vero differentiae non parvae notari possunt.⁶⁸ Tandem Consultores oblii non sunt se quaedam principia directiva laboris adoptasse quae etiam in hac parte erant applicanda. Inter haec adsunt illa iuxta quae praescripta iuris instituta vitae consecratae respicientia debent esse generalia et flexibilia.⁶⁹ Ceterum, omnes normae primae partis Schematis Generalis valent etiam pro institutis saecularibus.

22. His omnibus motivis impulsi, Consultores tres tantum canones speciales pro institutis saecularibus proponunt et procedunt plus minusve modo parallelo sicut fecerunt pro institutis vitae apostolicae consociatae.⁷⁰ In primo canone colliguntur *elementa positiva specifica* et *communia* huius formae vitae consecratae. Nam, canon statuit Instituta Saecularia veram et completam formam vitae consecratae constituere per professionem in saeculo trium consiliorum evangelicorum aliquo sacro vinculo firmatam. Sodales vero eorum propriam consecrationem exprimunt et excercerent in actuositate apostolica in saeculo et ex saeculo. Item satagunt, ad instar fermenti, omnia ad robur et incrementum Corporis Christi spiritu evangelico imbuere. Ita, paucis propositionibus omnia elementa necessaria modo omnino generali enuntiata manent absque ullis determinationibus quae forsan quibusdam vel pluribus institutis saecularibus applicari non possent. Hoc tamen non obstante nemo errare potest et hanc generalem descriptivam notionem aliis institutis applicare quam Institutis Saecularibus. Conclusio haec magis clara appetet ex iis quae in canone secundo statuuntur.

Affirmari potest canonem secundum *notas potius negativas institutorum saecularium patefacere*. Dum in canone primo definitur quid institutum saeculare revera sit, in secundo determinatur quodammodo

martii 1948; Instr. *Cum Sanctissimus*, diei 19 martii 1948; Decr. *Perfectae caritatis*, n. 11; Acta Congressus Internationalis Institutorum Saecularium, Romae 20-26-IX-1970, Ed. O.R., Milano; Allocutiones S. Pont. Pauli VI, *A.A.S.* 62, 1970, pp. 619-624; 64. 1972, pp. 206-212, 615-620.

⁶⁸ Non est facile noticias certas habere circa indolem, structuram, missionem, opera apostolica, etc. Institutorum Saecularium quae iam approbata sunt. Regulariter istae societates in silentio et in abscondito activitatem suam apostolicam exercent. Hoc non obstante diversitates sat notabiles inter eas notantur.

⁶⁹ Cf. *Communicationes*, 2, 1970, pp. 170-173.

⁷⁰ Cf. quae dicta sunt supra nn. 17-19.

quid non sit. Non est enim institutum quod exigit vitam communem, sicut instituta religiosa vel instituta vitae apostolicae consociatae; eius sodales non obligantur deferre signum aliquod proprium suae consecrationis tamquam membra ipsius; in temporalibus sodales non distinguuntur ab aliis christifidelibus inter quos vitam ducunt et secundum cuiusque conditionem eamdem vitae rationem servant. Non habetur proinde illa separatio a mundo in quolibet instituto religioso necessaria, etsi diversa secundum diversitatem indolis et finis cuiusque instituti, quae requiritur ad testimonium publicum et communitarium Christo et Ecclesiae reddendum ab omnibus institutis religiosis.⁷¹ Testimonium quod redditur ab institutis saecularibus plerumque est potius individuale quod a singulis sodalibus praebetur in adjunctis in quibus vitam agunt.

23. Disserens de obligationibus institutorum vitae consecratae et de illis sodalium quae statutae sunt in Titulo VI Primae Partis Schematis Generalis, infrascriptus Relator inter alia scribebat: « Quo melius vocatio instituti eiusque proposita adimpleri possint, *institutum tenetur adamussim definire in propria ratione vivendi modum quo consilia evangelica servari debent* ».⁷² Haec autem definitio abs dubio fieri debet attentis natura, indole, missione, etc. ipsius instituti de quo agitur. *In canone autem tertio qui instituta saecularia respicit constituitur praescriptum quo norma generalis*, de qua iamiam sermo fuit, *singulis institutis saecularibus applicatur*. Imponitur enim *ut quodlibet institutum saeculare in proprio iure particulari apte determinet atque definiat obligationes et praxim consiliorum evangelicorum* « *attentis perculiari eius natura et vivendi ratione necnon saecularitate eidem propria* ». Cum hoc ultimum praescriptum non sit nisi applicatio categoriae institutorum saecularium normae generalis quae recte in parte generali Schematis invenitur, stricte loquendo praescriptum hoc non esset absolute necessarium. Consultores tamen Coetus Studiorum consideraverunt formam peculiarem huius vitae consecratae et exigentias speciales institutorum et sodalium propter rationem vitae quam ducunt et adjuncta in quibus suam activitatem specificam exercere debent et *maxime opportunum duxerunt hunc canonem hic inserere* qui peculiarem induit significacionem. Adde quod sodales, quoad praxim praesertim consilii paupertatis

⁷¹ Cf. *Communicationes*, 6, 1974, n. 11, p. 81; Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 44; Decr. *Perfectae caritatis*, n. 17; Apost. Exhortatio *Evangelica testimonia*, nn. 22, 35, 46.

⁷² Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 10, p. 57.

et oboedientiae, diversam omnino disciplinam requirere ab illa quae vigere debet in institutis religiosis et vitae apostolicae consociatae.

24. In quarto et ultimo canone huius Tituli III Secundae Partis Schematics duo statuuntur. Imprimis, aperte admittitur quod instituta saecularia possunt esse clericalia vel laicalia. Existentia *Institutorum Saecularium Clericalium* ab Ecclesia approbatorum est factum quod a nemine negari potest,⁷³ licet de indole eorum saecularitatis et de eorum relationibus ad *Instituta Saecularia Laicalia* discussiones fieri possint. Coetus Studiorum huiusmodi quaestionem intactam relinquit, si revera habeatur, quia ad eum non pertinet solutionem afferre. Tantummodo recipit et in canonem redigit quod iam statutum est a Patribus Concilii et ab Auctoritate Ecclesiastica.⁷⁴

Secunda pars canonis respicit conditionem sodalium *clericorum* in his institutis. Non paucae fuerunt disceptationes inter Consultores nostri Coetus de hac quaestione. Sodales clericorum institutorum saecularium considerari debent tamquam clerici dioecesani et ita, saltem regulariter, debent incardinari in dioecesi in qua ministerium apostolicum exercent? Quo in casu, ad quid restringitur auctoritas moderatorum instituti? Sicut dictum est supra pro sodalibus clericis institutorum vitae apostolicae consociatae,⁷⁵ quaestio solvi non poterat a Consultoribus nostri Coetus dumtaxat quia de incardinazione clericorum agere pertinet ad Coetum « De Sacra Hierarchia ». Quapropter in eadem sessione in qua Consultores Coetus sic dicti « mixti » conditionem examinaverunt et solutionem proposuerunt pro clericis institutorum vitae apostolicae consociatae, consideraverunt etiam quaestionem clericorum qui sodales sunt institutorum saecularium. Practice solutio reicta est in libertate eorumdem institutorum. Si enim sodales clerici, *ad normam iuris particularis instituti ad quod pertinent*, adscribuntur uti tales ipsi instituto tunc nullam incardinatem in dioecesi vel ecclesia particulari nanciscuntur. Si vero, *ad normam eiusdem iuris particularis*, ipsi incardinantur dioecesi pro qua promoti sunt, tamquam clerici ab Ordinario loci illius dioecesis vel ecclesiae particularis dependere dicendi sunt, salvis tamen iis quae vitam consecratam in proprio instituto respiciunt.

Estne solutio melior et magis iusta? Quaestio sub diversis aspectibus

⁷³ Cf. indicem *Institutorum Saecularium iuris pontificii* qui habetur in *Annuario Pontificio*, anni 1975, p. 1200. Sine dubio quaedam ex his Institutis Saecularibus sunt clericalia.

⁷⁴ Cf. *Decr. Perfectae caritatis*, n. 11; *Annuario Pont.*, ibid.

⁷⁵ Cf. *supra*, n. 19.

considerari potest et opiniones variae et forsan etiam oppositae sustineri possunt. Attamen, attentis discrepantiis quae inter alia et alia instituta saecularia percipiuntur, fortasse melius est si quaestio de incarnatione vel minus clericorum qui sodales sunt institutorum saecularium solvatur ab auctoritate competenti eorundem institutorum quia sic magis ponderari possunt et exigentiae cuiuslibet instituti et necessitates ecclesiae particularis et alia adiuncta quae ad rem faciunt.

**V. DE MUTATIONIS NOVISSIME INDUCTIS
IN TITULUM II PRIMAE PARTIS:
« DE DEPENDENTIA INSTITUTORUM AB ECCLESIASTICA AUCTORITATE »**

25. Primum Schema divisionis generalis quod publici iuris factum fuit⁷⁶ refert in « Parte Speciali », quae modo omnino provisorio delineata fuerat, *Sectionem Quintam: « De Institutis exemptis ».*⁷⁷ In ulteriori autem examine Partis Specialis Schematis, Sectio haec Quinta: « De Institutis exemptis » suppressa fuit: « quia instituta exempta non constituunt aliquam categoriam exclusivam. Possunt enim esse vel monastica vel religiosa apostolica vel non religiosa. Ceterum non videtur necessarium integrum titulum dedicare huic quaestioni et etiam locus forsan non est aptus. De his quaestionibus Coetus decisionem ferre debebit tempore opportuno ».⁷⁸ Ita scribebat Relator mense maio 1973. Re quidem vera, Coetus Studiorum postea decisionem tulit de exemptione institutorum a iurisdictione Ordinariorum loci obiter tantum tractare in Titulo II Primae Partis Schematis Generalis ubi agitur de dependentia institutorum vitae consecratae ab ecclesiastica Auctoritate. Eodem tempore Consultores Coetus Studiorum necessarium duxerunt firmiter statuere *principium de sufficienti et aequa autonomia interna cuiuslibet instituti vitae consecratae*. Et etiam de hac quaestione agendum erat in eodem Titulo II Primae partis Schematis generalis. Mirum non est quod huiusmodi additiones vel insertiones in Titulo II Partis Primae Schematis quasdam alias mutationes in eodem Titulo II postulaverint, quae tamen magni momenti non sunt. De his omnibus mutationibus nunc breviter agendum est.

⁷⁶ Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 5, p. 175.

⁷⁷ Cf. *Ibid.*, p. 176.

⁷⁸ *Communicationes*, 5, 1973, n. 16, p. 65.

26. Tametsi Patres Concilii in documento tam sollempni, sicut est *Constitutio Dogmatica « Lumen gentium »*,⁷⁹ clarissime declaraverint consilia evangelica esse donum divinum quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia Eius semper conservat, non defuerunt et non desunt qui erroneas doctrinas propugnaverunt et propugnant circa potestatem quam Auctoritas ecclesiastica, et praesertim Suprema, habet in praxim consiliorum evangelicorum moderandam et in Instituta vitae consecratae. Quapropter Consultores Coetus Studiorum statuerunt novum statuere canonem initio Tituli II quo haec potestas Auctoritatis Ecclesiae affirmatur. Fons fere unicus huius canonis est doctrina exposita a Concilio Vaticano II in Capite VI eiusdem Constitutionis dogmaticae « *Lumen gentium* », n. 43 et 45. In canone iura et officium competentis Auctoritatis Ecclesiae brevibus enuntiationibus ex indicato fonte desumptis exprimuntur. Competentis Ecclesiae Auctoritatis est, sub ductu Spiritus Sancti, consilia evangelica interpretari, praxim eorum aptis legibus moderari et formas stabiles vitae consecratae a S. Fundatoribus sub inspiratione Spiritus Sancti conditas approbatione canonica formaliter erigere vel constituere. Eius est curare ut instituta condita crescant et florent in Ecclesia secundum spiritum Fundatorum.⁸⁰ Canon iste initio Tituli II positus personas consecratas et eorum instituta immediate ponit in dimensione ecclesiiali. Quod nostris temporibus negligendum non est.

27. Si iustum et necessarium apparet potestatem Auctoritatis competentis Ecclesiae in moderanda praxi consiliorum evangelicorum proclamare et defendere, sicut factum est in primo canone huius tituli, maxime opportunum apparet defendere etiam iustam autonomiam internam institutorum vitae consecratae ut libera evadant ab indebitis et iniustis impositionibus et intromissionibus. Et hoc factum est in canone tertio huius Tituli II. Non raro instituta vitae consecratae vel eorum partes aut sodales gravia damna sustinent ex istis illicitis actionibus extraneorum. Non est dubium quin auctoritas legitima possit et etiam debeat media necessaria adhibere ad cohibendos abusus graves si auctoritas interna instituti suum officium non complet. Autonomia haec quae ex ipsa approbatione instituti ab auctoritate competenti Ecclesiae videtur debita, non est certe completa independentia et coarctatur ad iustam autonomiam vitae et praesertim regiminis — sicut dicitur in canone — ad hoc ut institutum eiusque sodales possint gaudere in Ecclesia propria disciplina et servare integrum patrimonium proprium spirituale, doctri-

⁷⁹ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 43.

⁸⁰ Cf. *Ibid.*, n. 45.

nale et liturgicum.⁸¹ Haec autonomia necessaria videtur ad hoc ut institutum servare possit suam identitatem in Ecclesia et proprium spiritum atque missionem.⁸² Et ideo in canone recte statuitur Auctoritatem Ecclesiae hanc autonomiam sancire et in tuto servare debere.⁸³

28. Canon circa autonomiam internam institutorum vitae consecratae, de qua sermo fuit in numero praecedenti, viam sternit ad canonem qui statuit possibilitatem exemptionis institutorum vitae consecratae eorumque sodalium a iurisdictione Ordinariorum loci per actionem Summi Pontificis. Patres Concilii potestatem eximendi Summi Pontificis plane agnoverunt.⁸⁴ Ambitus istius potestatis extenditur ad « quodcumque perfectionis Institutum ac sodales » singulos et motiva ob quae exemptio concedi potest sunt: *a)* ut melius provideatur necessitatibus dominici gregis et intuitu utilitatis communis; *b)* ut de illis disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae; *c)* ut melius in institutionis omnia sint inter se apta et connexa atque incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur.⁸⁵ Sed ad quid revera sese extendit exemptio in documentis conciliaribus determinata? In Decreto « Christus Dominus » clare affirmatur principium iuxta quod: « Exemptio ... ordinem Institutorum internum potissimum respicit ».⁸⁶ Et revera, ex eodem documento scimus sodales institutorum vitae consecratae, absque ulla distinctione, subesse potestati Ordinariorum loci « in iis quae ad publicum exercitium cultus divini, salva quidem Rituum diversitate, ad curam animarum, ad sacram praedicationem populo tradendam, ad christifidelium, praesertim puerorum, religiosam et moralem educationem, catecheticam institutionem et liturgicam efformationem atque ad status clericalis decorem spectant necnon ad varia opera in iis quae sacri apostolatus exercitium spectant. Religiosorum quoque scholae catholicae Ordinariis locorum subsunt ad eorum generalem ordinationem et vigilantiam quod attinet, firmo tamen iure Religiosorum quoad eorumdem moderamen. Pariter Religiosi tenentur servare omnia quae Episcoporum Concilia aut Conferentiae ab omnibus servanda legitime edi-

⁸¹ Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, n. 2 b ubi explicatur quid intelligendum sit per « patrimonium proprium » Institutorum.

⁸² Cf. *Ibid.* Quod Instituta habeant peculiarem indolem et munus cedit in ipsum bonum Ecclesiae universae.

⁸³ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, nn. 44-45; Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 2, 5, 6.

⁸⁴ Cf. Const. dogm. *Lumen gentium*, Cap. VI, n. 45; Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 3.

⁸⁵ Cf. *Ibid.*

⁸⁶ Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 3.

xerint ».⁸⁷ Hoc significat instituta, quae exempta dicuntur, quoad cuncta supra enumerata revera *exempta non esse*. Aliis verbis post Concilii celebrationem exemptio instituti vix aliud significare potest quam interna autonomia regiminis et vitae, de qua sermo fuit in praecedenti numero, quia: « exemptio non impedit quominus Religiosi in singulis dioecesibus Episcoporum iurisdictioni subsint ad normam iuris »;⁸⁸ idest prout descriptum est supra.

His in adjunctis Consultores Coetus Studiorum aestimarunt anteponendam esse autonomiam vitae et regiminis pro omnibus institutis. De exemptione autem sufficere decreverunt canonem condere qui principium statueret prout expositum est supra, initio huius numeri. Summus Pontifex nempe, ratione primatus in universam ecclesiam, potest Instituta vitae consecratae et eorum sodales eximere a iurisdictione Ordinariorum loci sibique soli vel alii auctoritati ecclesiasticae subiicere quo melius Institutorum bono atque apostolatus necessitatibus provideatur et intuitu utilitatis communis. Ceterum, praeter casum Institutorum, quae a iure iam sunt exempta⁸⁹ quaeque exemptionem abs dubio non amittunt, in futuro quaelibet exemptio requiret actum positivum Summi Pontificis qui, si velit, posset effectum exemptionis melius delimitare vel etiam extendere per documentum quo exemptionem statuit. Coetus vero Studiorum necessarium non duxit ulteriores determinations afferre in Schemate circa hanc materiam. Quaedam clarificatio allata est circa effectus exemptionis in canone primo Tituli III Primae Partis Schematis ubi agitur: « De regimine Institutorum ». Ibidem affirmatur in institutis exemptis moderatores obtinere pleniorem participationem et liberum usum potestatis ecclesiasticae ad normam iuris etiam particularis. Et res videtur sufficienter clara, quia in his institutis plerumque habetur potestas iurisdictionis ecclesiasticae et iura Ordinariorum loci sunt magis restricta.⁹⁰

Praeter insertionem trium canonum in Titulo II Partis Primae Schematis Generalis, qui sunt *primus*, *tertius* et *quartus* in eodem Titulo, aliae mutationes magni momenti in canonibus eiusdem Tituli factae non fuerunt. Habentur utique quaedam « *praecisationes* » potius technicae quae tamen substantiam *praescriptorum* non mutant. Ita,

⁸⁷ *Ibid.*, n. 35, 4.

⁸⁸ *Ibid.*, n. 35, 3.

⁸⁹ Cf. *C.I.C.*, can. 615.

⁹⁰ Praeter haec non est pro momento facile identificare alios effectus exemptionis in campo potestatis ecclesiasticae. Res est profundius investiganda in luce novae dimensionis quae exemptioni data fuit a Patribus Concilii.

v. gr. in § 2 canonis secundi huius Tituli II ubi agitur de obligatione sodalium institutorum vitae consecratae oboediendi mandatis vel praecptis Summi Pontificis, in praecedenti canonis formulatione dicebatur: « Singuli autem sodales Summo Pontifici etiam vi professionis consilii evangelici oboedientiae parere tenentur »; nunc autem melius statuitur: *Singuli sodales Summo Pontifici parere tenentur etiam ratione sacri vinculi oboedientiae.* Non est igitur cur tempus insumatur in his minutis mutationibus illustrandis.

VI. DE NOVA TERMINOLOGIA IN HOC SCHEMATE ADOPTATA

29. Ut iam in quadam « relatione » dictum est,⁹¹ terminologia in Parte II Libri II Codicis Iuris Canonici usitata servari non poterat in novo Schemate. Ratio praecipua est quod in hoc Schemate ambitus dilatatus est per inclusionem categoriae Institutorum Saecularium, quae formaliter agnita non fuerat quando Codex Iuris Canonici fuit promulgatus.⁹² Cum haec forma vitae consecratae non parum differat ab illis sic dictis « traditionalibus », ut supra expositum est,⁹³ eius inclusio in novo schemate exigit notabilem mutationem in usu terminorum, quia multae ex vocibus quae antea erant in usu aptae non sunt ad novam realitatem exprimendam. Sed etiam sodales institutorum quae nunc vocantur vitae apostolicae consociatae (antea notae tamquam sociates vitae communis) aegre ferebant applicationem quam Codex et alia documenta iuridica ipsis faciebant terminologie stricte religiosae.

Quaedam nunc ex mutationibus terminologicis maioris momenti enumerantur et brevissime illustrantur, ubi necessarium existimatur.

30. Mutatio principalior quae applicationem latissimam habet in universo Schemate illa est *appellationis Institutorum*, quae sub hoc Schemate includuntur, et consequenter *etiam rubricae eiusdem Schematis*. Iam expositum est quomodo rubrica *De Religiosis* quae in Codice Iuris Canonici apparet, quaeque prima fuit qua Coetus noster Studiorum initio laborum cognoscetur, postea mutata est in illam: *De Institutis Perfectionis*. Haec tamen appellatio non paucos habuit oppositores, varia ob motiva. Quare, proponente infrascripto Relatore et annuente Em.mo Praeside, quaestio de « rubrica » vel « *appellatione* » generali huius Schematis et Institutorum quae sub ipsis includuntur

⁹¹ Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 4, p. 49.

⁹² Codex Iuris Canonici promulgatus est die Pentecostes 1917 dum Instituta Saecularia formaliter ab Ecclesia agnita fuerunt a. 1947.

⁹³ Cf. *supra*, nn. 20-24.

agitata fuit in sessione generali Coetus Studiorum habita diebus 6-9 mensis maii 1974. Tres appellations propositae fuerunt cum sequenti exitu. Rubrica *De Institutis perfectionis* unanimiter reiecta fuit. Alia quae sic inscribebatur: *De Institutis evangelica consilia profitentibus* (vel *profitentium*) » etiam reiecta fuit, licet quibusdam Consultoribus placeret. Tertia, quae maioritate suffragiorum acceptata fuit, est sequens: *De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum*. Haec proinde debet esse appellatio officialis Schematis et huius categoriae Institutorum et ita apparere debet initio Schematis. Postea tamen brevitatis gratia permittitur usus expressionis: *De Institutis vitae consecratae* quando nulla aequivocatio est possibilis.⁹⁴

31. Propter easdem rationes in praecedenti numero expositas: 1) abalentur e Schemate omnes voces stricte religiosae et per vocabula magis generalia substituuntur. Ita, religio, Ordo, Congregatio, etc. substituuntur per nomen: *institutum*; provincia fit *pars instituti* et domus religiosa et communitas cognoscuntur tamquam *sedes* et *coetus*; 2) pro periodo formationis, qui admitti desiderant generaliter « *candidati* » vocantur, quocumque nomine veniant in iure particulari. Novitiatus, una vice tantum ita vocatus ad aequivocationem vitandam, appellabitur: *probationis canonicae tempus*; aedificium pro novitiatu nomen habebit: *sedes probationis canonicae*; magister novitiorum fit *probationis canonicae magister* et novitus vocabitur: *sodalis nuper receptus*. Professio vero fit *cooptatio* quae non amplius erit simplex vel sollemnis sed tantum *temporanea* vel *perpetua* aut *definitiva*. Professi consequenter appellari debent *cooptati*; 3) ut legislatio magis concordet cum hodiernis moribus socialibus Coetus Studiorum adoptavit voces: *moderator* et *sodalis*, loco vocabulorum « *Superior* » et « *subditus* »; 4) tandem in Schemate non amplius apparebunt: « *indultum exlastrationis* » et « *indultum saecularizationis* ». Loco eorum habentur: *concessio vel permissionis manendi seu vitam agendi extra Institutum* et *indultum descendendi ab Instituto*.

Hae indicationes per modum potius illustrationis mutationum in terminologia positae sunt quia effectus earum vix ponderari potest per aridam quamdam enumerationem. Oportet ut considerentur in ipso Schemate canonum ad hoc ut earum momentum aestimari possit. Sufficiant igitur pro momento hae paucae notulae circa mutationes terminologicas.

⁹⁴ Pro primis mutationibus rubricae cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 4, p. 173; 5, 1973, n. 4, p. 49.

VII. DE LABORIBUS CUIUSDAM MIXTI COETUS STUDII EX ALIQUIBUS
CONSULTORIBUS COETUS NOSTRI ET EX ALIIS COETUS STUDII
« DE SACRA HIERARCHIA » COMPOSITI

32. Ut iam dictum est supra,⁹⁵ ad quasdam quaestiones considerandas et solvendas quae competentiam respiciunt et nostri Coetus Studiorum et illam Coetus « De Sacra Hierarchia », Em.mus Praeses Commissionis Pontificiae Coetum quemdam mixtum constituit ex Consultoribus e nostro Coetu Studiorum selecti et ex aliis qui pertinent ad Coetum Studii « De Sacra Hierarchia ». Adunatio facta est mense ianuario huius anni 1975. De exitu examinis circa quaestionem incardinationis in dioecesi vel Ecclesia particulari in qua adlaborant sodales Institutorum vitae apostolicae consociatae et Institutorum Saecularium iam expositio sufficiens facta est quando sermo fuit de his duabus categoriis institutorum vitae consecratae⁹⁶ et non est cur redditus fiat ad eamdem quaestionem.

Consultores Coetus mixti aliam quaestionem consideraverunt, nempe: *de conditione iuridica sodalium clericorum qui legitime exeunt ab instituto vel ab eo dimittuntur.*

33. Canon paratus a nostro Coetus Studiorum circa conditionem sodalis clericu, qui definitive extra Institutum legitime invenitur propter egressum vel dimissionem, simpliciter statuebat talem clericum in sacris constitutum exercere non posse sacrum ministerium nisi admittatur, ad normam iuris, ad hoc faciendum a proprio vel ab alio Episcopo diocesano. Coetus mixtus aliam formulationem canonis proposuit quae parum differt a prima. Determinat hoc praescriptum sodalem in sacris constitutum, qui e proprio Instituto legitime egreditur vel ab eo a competenti auctoritate dimittitur, ut sacrum ministerium exercere possit, *incardinationem* a suo vel alio Episcopo obtinere debere aut saltem ab eodem *ad sacram ministerium exercendum ad tempus*. Substantialiter ambae formulationes idem statuunt sed Consultores Coetus nostri noluerant de incardinatione quidquam statuere quia nesciebant quid Coetus competens proponere vellet circa hoc institutum iuridicum. De sodali clero qui illegitime proprium Institutum relinquit Coetus studiorum nihil statuit quia evidens est illum suspensum manere a divinis et sacrum ministerium exercere non posse.

⁹⁵ Cf. *supra*, nn. 19, 24.

⁹⁶ Cf. *supra*, n. 19, 24.

34. Brevi commentario ad propositam legislationem Instituta Saeularia respicientem absolvitur enucleata expositio operis recognitionis illius partis Codicis Iuris Canonici quae sub Titulo: *De Religiosis* nota est⁹⁷ quaeque postea *De Institutis perfectionis* appellata est et recentissime rubricam accepit: *De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum.*⁹⁸ Expositio haec, a Coetu Studiorum desiderata et ab Eminentissimo Praeside Commissionis libenti animo accepta vult benignis lectoribus patefacere iter quod recognitio secura est, laborum progressionem, difficultates non leves quas Consultores Coetus superare debuerunt, principia directiva adoptata, divisionem generalem Schematis canonum quae introducta fuit et generales orientationes legislationis recognitae.⁹⁹ Quamquam non raro notitiae sat ampliae datae sunt circa tenorem quorumdam canonum,¹⁰⁰ infrascriptus Relator, collatis consiliis cum aliis Consultoribus Coetus et cum Em.mo Praeside, maluit particulares notitias circa formulationem canonum pro momento non communicare.¹⁰¹ Agitur namque de legislatione proposita quae a plurimis examinari et probabiliter in non paucis emendari debet. Intentio tamen Consultorum Coetus Studiorum in edendo hanc expositionem quae quatuor constat partibus non fuit tantum neque principaliter legitimae curiositati lectorum satisfacere sed eis quorum interest, et potissimum personis consecratis cuiuslibet generis sive sodales sunt sive moderatores, lucem sufficientem praebere ut cognoscere possent generalia principia propositi novi iuris. Ita melius poterunt sese preparare ad illud recipiendum eodem animo et iisdem dispositionibus quibus omnes Consultores Coetus Studiorum strenue adlaboraverunt ad recognitionem parandam, nempe: ut novum ius sit revera donum Dei et Ecclesiae Institutis et sodalibus vitae consecratae factum ad hoc ut sit unum ex praecipuis mediis pro optata et accomodata renovatione vitae Deo dicatae per professionem consiliorum evangelicorum (P. Marcus Said O.P., Relator).

⁹⁷ Cf. C.I.C., Liber II, Pars II.

⁹⁸ Pro rubrica *De Institutis Perfectionis* cf. *Communicationes*, 2, 1970, nn. 1-2, pp. 168-170; pro rubrica vero *De Institutis vitae consecratae etc.* cf. supra nota 1.

⁹⁹ Cf. passim *Communicationes*, 2, 1970, pp. 168-181; 5, 1973, pp. 47-69; 6, 1974, pp. 72-93.

¹⁰⁰ Cf. ex. gr. *Communicationes*, 6, 1974, nn. 5-9, pp. 74-79.

¹⁰¹ Cf. passim ut in nota 78.